benignitatis suæ nostriq; omnium clementer misereatur propter filium suum Jesum Christum Amen. Bremæ 6. Idq Junij 1577. de ¶o 1577.

Tuæ dignitatis studiosissimus senex
Iuvenum custos
Johannes Molanus.

M. Joh. Polyandro Embdæ 279 [= Accr. a. 7: Nr. 288]

Pax Christi.

Polyander amice et frater venerande: gaudeo si vobis in nuptiis Erasmi Rectoris bonis omnibus auspiciis facta sunt et transacta. Monuerant hac euntes pater et propinqui ut ad plaustrum suum me adjungerem: sed imminente jam æstate, neq; id scholæ sollicitudo, neq; familiæ cura patiebatur. Ceterum ut ad istam celebritatem nihil ego præsens potuissem adjungere: ita unius amici absentia procul dubio, nihil vestræ festivitati detraxit. Senecio sum, neurorumq; reflexis tibiis et cervice invalida. Neque facile longioris vectationis molestias superesse. ignoscet igitur amicus et nostræ calamitatis in qua omnino domi manendum fuit, et mearum miseriarum respectu, benevolentiam nuper nos inter initam ob rem tantulam imminui non sinet. Tu quod in tam diuturno tamq; pertinaci certamine, Dei robur conceperis et cum laude ex illis dimicationum fluctibus emerseris tibi gratulor, et filio Dei salutis nostræ principi, tuo nomine gratias ago. Herbertus ille à Langen, vir longè optimus, quem salutari jusseras nondum huc se recepit, neq; faciet opinor donec hoc saeviens incendium deflagrarit. De literis Danielis Bezæ, gaudeo tua causa. Qui quidem tales habeas παραστάτας: nunquam destitui poteris tempestiva consolatione. Requirit (ut ais) judicium tuum Theodorus Beza de quæstionum parte altera. Vide quid agas! adornat machinam ἐλεγκτικήν: ... περιτύχοις, ne et tu in illius incomparabilis viri in-

eidas reprehensionem. Tantum est in eo acumen, ut
frustra contradicas, tanta disputantis auctoritas, ut
religio sit dissentire. Equidem quia neque velim cum
aliquo contendere, neque (ut scis) possim, illud in hac
causa deflendum existimo, quod quo diutius summi The-
ologi de sacramentis dimicant, eo molestiores subti-
litates tanquam nubes serenissimis Magistri per-
fectissimi verbis induunt, quibus graviores subinde
tempestates concitantur. Liceat ne hic inter nos, vel
in aurem quod sentio loqui! id mihi nunc agi vi-
detur a pleris que non aperte quidem: sed quasi per cu-
niculos, ut illa Tyndaris substantiata, quae prae-
stantissimos Heroas Christianae gentis, longe lateque
perculit, atque ipsos ἔλοχα τεῦχε κύνεσσιν, sacra
vere possessione firma stabilique retineatur. Quo-
dum fiet idolum et abominationi Ecclesiis manc-
bunt, postquam enim, qui istas subtiles attributionum
argutias non capit, nos audit panem Domini esse
ipsum naturale et substantiale corpus quod est
natum ex Maria virgine, protenus in idololatri-
am ad quam sua pte amentia propendebat, impelli-
tur pereuntque per nostram operosam so-
phisticen, animae pro quibus mortuus est Chri-
stus. Quam si . . . . . . vai ἄνευ βαρωι ... ea.
rior: est veritatis oratio! panis (inquit) qui
. . . . . actus fuerit, quem jubeo accipere et
edere in mei recordationem est . . . . .
quod pro vobis frangitur: Vinum, quod e
meo calice bibitis, sanguis meus est, qui pro
vobis effunditur. Hae phrases Domini, quae
nobis ejus mortem evidenter annunciant,
plenae sunt saluberrimae consolationis.

quibus, si nunc contra corruptores peregrinas
illas Papistarum κενοφωνίας, panis est corpus
Christi reale, essentiale, naturale &c. non rea-
liter, essentialiter, naturaliter &c. Quae res, re-
unde haec farrago loquendi venerit in lingu-
as? unde istud dederis! Etenim in verbis
Magistri tropus est, id est, illustranda s
commoda explicatione. Est plane in Christi
verbis tropus, sed facilis, et sacramentorum
doctrina perquam familiaris. Dicimusque vel
a Mose panem interpretari τοῦ σώματος
σύμβολον, vel a Paulo κοινωνίαν τοῦ σώματος
hoc est τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας ...... Scili-
cet ut sit Metonymia subjecti, quâ nomen pro-
prium rei subjectae ad significandam rem ad-
junctam traducitur. Non est igitur panis fra-
ctus in S. Coena ipsum essentiale Christi corpus;
sed ipsius essentialis corporis signum aut si-
gillum, et quidem qualeque dixistis corpus fra-
ctum oblatumque est pro mundi vita. Proinde
quoties de Sacramentis loquimur, servemus τὴν
ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων quam nobis
scriptura sacra praefinivit, non fingeremus
novas Ironicas, quibus sanandis alia rursus adhi-
bendae sunt ἰατρεῖαι, rursusque aliis est exempla-
ribus. Sicut mandat gravissimus Apostolus: εἴ
τις λαλεῖ· ὡς λόγια θεοῦ λαλείτω. Sed mihi jam
periodum obstrepitur. Haec non esse gravamina,
sive professionis, ut nobis [illegible] τὰ [illegible]
τοῦ [illegible]: de tropis certe nihil [illegible] fit,

cum amico colloqui, praesertim, quum me huc
provocaveris ipse. Haec enim sunt tua verba in
epistola. Tu siquid habes, rescribe. Rescribo
igitur modeste et ingenue. Hactenus illa sim-
plici explicatione, quam Moses nobis et Paulus
monstraverunt, qua videlicet in enunciato attri-
buto tropus statuitur. Substantiate illius con-
vincere urentes oculos satis acriter conspi-
cor fuisse. Curnam hoc manubrium, quo nos
Dei spiritus armaverat, ultro e manu amit-
timus? cur praesidium divinitus munitum
adversariis prodimus? idem cum ipsis loquen-
tes, vocabulum scilicet corporis in nativa
et propria significatione accipiendum,
ac proinde panem esse verum essentiale
et substantiale Christi corpus. Nam hic vi-
cimus collis, quum relicto praesidio in eadem.
(tanquam in scirpo nodum) quaerentes, non
mihi sane satis opportunus videtur ad depel-
lendam idololatricae abominationis coiti-
onem. Equidem multorum Rhetorum prae-
ceptiones studiose legi ab adolescentia, nun-
quam tamen ullam reperi (nisi fallit me-
moria) qui in verbo substantivo sive in co-
pula enunciati speciem aliquam tropi esse
profiteretur. Copula scilicet non tam
pars enunciati est, quam vinculum partes
connectens, quod semper sequitur affecti-
onem categorematis ad subjectum. Ex-
empli gratia. Herodes est homo, hic τὸ est

capitur ὑπαρκτικῶς, quia partes enunciati sunt essentiales. At Herodes est vulpes, hic quia partes sunt disparatae. τὸ est accipitur μεταθετικῶς, non quod in vinculo sit metaphora (quod nemini unquam in mentem venit) sed quia categorema, nempe vulpes, à nativa significatione natā τὸ ἀναλογικῶς rem similem transfertur. Quidcum dico Herodes est mortuus: τὸ est capitur στερητικῶς, non quod ulla στέρησις insit verbo substantivo, sed quod illo quasi vinculo vocabulum privativum annectatur subjecto. Cum itaque, si hoc verè dicitur (quod res ipsa comprobat) copula enunciati semper sequi affectionem attributi ad subjectum; frustrà tropum quaerimus in copula illic, ubi neutra partium est modificata. Quamobrem cum dico, panis est Christi corpus, impossibile est verbum substantivum hic à propria significatione immutari, nisi corporis vocabulum à nativa significatione in aliam traducatur. At enim dices: nonnè τὸ est potest μετωνυμικῶς usurpari pro significat: ut panem esse corpus idem sit, quod panem corpus significare: fateor quidem sacramentale Christi dictum. Hic panis, quem fregi, meum est corpus, quod pro vobis frangitur, propriè et sine tropo sic efferri . . . . . panis quem fregi, significat meum corpus, quod pro vobis frangitur. Atqu . . . . . eo fit, quod aut hic aut usquam alibi τὸ esse tropo quodam sit significare: sed quod in explicatione locutionis sacramentariae pro eodem habeantur significare et signum esse.

Cum ergo dicit Christus: Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου
prima et propria hujus dicti explicatio est, quam
scriptura ipsa monstrat: Τοῦτό ἐστι τοῦ σώματός
μου σημεῖον proxima eandem vim habens. Τοῦτο
ἤγουν ὁ ἄρτος οὗτος τὸ σῶμά μου σημαίνει. Eadem
in aliis ratio est. Enunciatio illa impropria
fasces sunt imperium, per hanc propriam et-
ferri potest, fasces imperium significant, non
quod in verbo (sunt) ea vis insit: sed quod im-
perii vocabulum, pro signo aut pro symbolo
imperii per metonymiam subjecti modi-
licetur, nihilque refert in explicando, utrum
dicas fasces significare imperium, an fasces
imperii signum esse. Haec quum ita se ha-
beant, fatendum est, nisi praeceptis artium
vim afferre velimus in copula enunciationali,
tum tropum constitui posse. Atque etiam
multo minus in genere attributionis, propter-
ea quod dictis tropus est in verbis singulis: genus
autem attributionis in conjunctis. Relinquitur
ergo in attributis tropum esse. Ceterum quum
tropus sit elocutio, qua verbum a nativa et pro-
pria significatione in aliam immutatur,
non potest fieri attributo modificato nem-
pe corpori id genus determinationum adjun-
gi substantiale, essentiale, naturale; quia
ejusmodi adjectionibus excluditur tropus
et vocabulum modificatum restringitur ad
nativam et propriam significationem.
Quid enim aliud proprie significat Chri-
sti corpus, nisi illud naturale et essentiale

corpq, quod natum est ex intacta virgine Ma-
ria. Quale sit cum dixi: Herodem esse vulpem,
spadicias essentialem, naturalem, quadrupede,
nimirum ex impropria propriam enuncia-
tionem reddideris et ex vera falsam. Sed ego
ista tecum, mi Polijander, minus familiariter
colloquor, longius etiam provectus disserendo, quam
erat institutum. Non aliquo studio contradi-
cendi quod profecto nullum in me unquam fuit,
sed quod ut primum a furiosis et agrestibus
adolescentiae meae corruptoribus prolapsus, Bre-
mae cum Doct. Alberto Hardenbergio praeclarae
doctrinae et fidei viro familiariq consuevi, ab-
horrui semper ab eo, quod videretur sophisticum
aut perplexum semperq fui amantissimus Evan-
gelicae simplicitatis. Obtestor autem te per a-
micitiam nostram, ut haec Grammaticae colo-
logemata placide cognoscas D. Mensonis et D.
Erasmi Rectoris censurae subjicias, quibus si
minus probentur, dissipes. Nam si quae ad sum-
mum illum virum, quem ego quoque maximi
facio, pervenerint, atque ille me procul vul-
nera facientis catapultae suae jaculis crebris
confecerit: dicam hunc senem amicum suo
ipse judicio periisse. Vale cum charissima conju-
ge etiam eximiis illis viris Mensone et
Erasmo, quem orabis ex me, ut libellum me-
um scholasticae institutionis mihi commit-
tat, dissipatis enim rebus nostris: si vita sup-
petet ad incunabula revertemur. Quo loco
sumus, cognosces ex epistola mea Gallica ad Quin-
ctinum de barij, quam velim legas. Virilis

cum sua familia, magno Ecclesiae nostrae futu-
ry est ornamento, prius est enim, ut qui maxi-
mè. Bremae in squalore 26 Junij 1577. in
vacua schola.

Tuus frater in Christo
Johannes Molany.

280 [= Mscr. a. 7 = Nr. 289]

Nicolao Camper juveni studioso Stadae.

Pax Christi.

Nicolaë Camper juvenis ingenuè, gaudeo vos
omnes salvos et citra offensum domum venisse.
At mihi sanè ingens in animo dolor est, con-
sideranti saepènumero quam florentem an-
nis quam plurimis .... Dei beneficio ha-
buerimus: quam nunc nullum habemus. Qui an-
tehac semper, tam domi quam in oculis civi-
um frequenti corona nobilissimorum juve-
num stipatus fui: nunc quocunque me verfam,
ubique tristem et insolitam solitudinem in-
venio, neque in aedibus habeo quos exerceam
neque in schola sunt quos doceam, quibus Dei be-
neficia praedicem, quorumque ascensus
societate in Dei conspectum cum piis pre-
cibus humilis procedam. Atque haec quoque sors
nostra, tametsi misera: ex Deo est tamen,
qui pro suo beneplacito (ut sic loquar) et
colligit discentium juvenum coetus et dis-
pergit. Ille si etiam nunc parcet vitae meae
annosque paucos adjiciet huic servo inuti-
li, futurum confido ut nos rursus sua beni-
gna facie ..... atque hoc vitiarium
quod ejus dextera plantaverat, clementer
instauret. Tunc ...... sermoni suis feri,
ptus est. Quid disperfit Israëlem, rursus